





DISPUTATIONEM MEDICAM INAUGURALEM
DE

EVACUANTIBUS SELECTIORIBUS,

In Alma Regia & Electorali Fridericiana

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO,

DN. FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS
BRANDENBURGICI HÆREDE,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU
PRÆSIDE

DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDINAR. ACADEM. NAT.
CURIOS. COLLEGA FACULTATIS MEDICÆ
DECANO

PATRONO ET PROMOTORE SUO ÆTER-
NUM DEVENERANDO
PRO GRADU ET PRIVILEGIIS

DOCTORIS MEDICI MAJORUM MORE CONSEQUENDIS

AD DIEM FEBR. MDCCLIII.
HORIS LOCOQUE SOLITIS
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI
SUBJICIT

CHRISTIANUS GODOFREDUS CARISIUS,
SCHWIDN. SIL.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis Christiani Henckelii Acad. Typogr.



RESOLUTIONEN DER UNIVERSITÄT

FAKULTÄT

SEKTOR

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...





CHRISTO GRATIAM CONCEDENTE SUAM!
PRO O E M I U M.



Um L. B. thema Dispu-
tationi meæ inaugurali *Operationes*
Universaliter Evacuantes ex parte
Medicinæ Nobiliffima nempe Ma-
teria Medica felectiore defumtas
præfixerim, fanè viam aggredior
afperam & fcopulis adeo refertam,

ut quam fequar, pene ignorem. Reperiuntur quidem
viæ à Viris eruditifatis tritæ, fed cùm præiudiciis Gale-
nicis & Chymicis fint refertæ, adeoque viis in viis com-
parandæ veniant, anxie quoad felectum & operatio-
nes Medicamentorum audiuntur querelæ. Hic enim
Univerfalium penuriam & defectum, ille naufeofam
copiam accufat. Et fanè, quodnam pharmacopolium
hodie tam felix, ut veram *Medicina Universalis* poffeffio-
nem iure poffit jactitare. Continent quidem officinæ *Tin-*
cturas Solares, quæ menftrui Univerfalif proles effe de-
bent, aft hæ crudæ tantùm & rudes Solis fint folutio-
nes, & partus immaturi, parum aut nihil de menftruo
Univerfali & Mercurio fophico participantes; Ignorant
enim quid fit aurum philofophorum, illudque confun-

A 2

dunt

dunt cum auro vulgi, quæ ambo tamen ut Cælum & terra differunt. Illud enim nihil aliud est, quam semen auri, vi menstrui Universalis, ex auro vulgi regeneratum, quod mediante Spiritu Vini dephlegmato vel coagulato in veram & sinceram auri abittincturam, quam qui possidet, sibi de possessione menstrui Universalis merito potest gratulari; Hoc autem, nempe aurum vulgi est tantum corpus mortuum, per se nullius Virtutis & operationis, imo corrosivis menstruis in liquorem redactum magis noxium quam utile. Simile fatum experiuntur officinæ in tanta simplicium multitudine, quibus innumera repleta prostant camera & pixides. Sane Medicus talia loca frequentans, & inspiciens tantam herbarum, florum, radicum, lignorum, feminum, salium, terrarum, aquarum destillatarum, spirituum, syruporum, specierum, Electuvariorum &c. copiam, vix sibi ipsi merito consulere potest, quid inter tanta aperientia, antiscorbutica, becchica, sudorifera diuretica, stomachica, purgantia, vomitoria, alexipharmaca &c. sit optimum, & praxi expertum. Triverunt quidem in hac materia viam Viri satis celebres, D. Schræderus, D. Hofmann. Zwelferus, Herrmann. Wedel. & Ludovicus, quod priores in Materiis suis Medicis, ultimus in Pharmacia moderno seculo accommodata satis nervosè fecerunt; Verum tamen si confiteor, pace tantorum Virorum, res vix omnis absoluta, nec ipse tantæ sum temeritatis, ut id à me præstari posse persuadeam; mea enim infirmitas satis nota, æque ac vitæ brevitatis, quæ nos à labore suscepto semper revocat, adhuc labor hic non est unius sed plurium hominum, adeoque tantis Viris facile venia dari poterit, licet

licet in hac vel illa re fuerint frustrati, imo magis maximæ illis agendæ sunt gratiæ, quod tantis in tenebris facem præbere voluerint. Et optandum modò esset, ut plures reperirentur Medici, qui non studium hoc quamvis utilissimum tamen tanquam minus utile rejicerent, vel ut absolutum crederent, sed unanimiter circa hanc materiam communicarent, studiumque hoc summè necessarium melius, quàm hæctenus factum, excolerent, verùm nescio, quâ fiducia officinas juxta suum arbitrium instruere intendant, imo ut delicatis fœminis placeant, omnia nauseosa & fœtida ex officinis profcribere & excommunicare laborant, quâ verò confidentiâ id fieri possit, mei non est inquirere, adeoque hoc aliis dijudicandum relinquo; Quis enim Medicus *viperarum* notiâ instructus in curatione febrium malignarum carere potest *viperis*, bezoardicò minerali, spiritu fuliginis, mixtura simplici vel liquore perlarum associatâ, præmissis pro motu naturæ vel Venæ Sectione vel vomitorio? Sane nullus præter ignarus; Quicquid enim alii pulvere pyrio vel aliis nitratis præstant mense, recensitis Medicamentis unò die, vel ad summum tribus diebus summo cum effectu efficitur. Quis in curatione *ascitidis* vel *luis Venereæ* carere potest *busonibus* ritè tamen præparatis, vel medicamentis ex iis desumptis? Quis *stercore & Urina*? qui enim semel tantum Virtutem stercoreis equini nimirum succi expressi observavit in paroxysmis colicis hysteris & nephriticis, aliter judicabit: imo si nec cinabarina, castoreata, succinata, opiata in istis morbis sufficiunt, una dosis succi hujus momentaliter omnia symptomata curat, & recensitos morbos ex fundamento tollit. Ut taceam sterco-



rum reliquorum animalium, *humanum* tamen adhuc allegabo, ejusque *Urinam*, in quibus maximâ quantitate latet *Spiritus mundi* quod probant curationes Magneticæ, & ex iis mediante spiritu roris majalis paratus *Spiritus mundi microcosmici*, qui in omnibus ferme morbis imprimis chronicis, loco medicinæ Universalis esse potest. Sed quid moror in fœtidorum medicamentorum diductione & laude, cum parum me effecturum apud plurimos conjiciam, hanc litem itaque viris in hac materia magis exercitatis dijudicandam relinquo. Ipse nunc speciminis Inauguralis locò solitariè *Operationes Medicamentorum Universaliter Evacuantium selectiores* pro virili pertractare constitui, ubi selecta *vomitória, purgantia, diaphoretica seu sudorifera, diuretica & salivantiâ intimius* juxta propriam suam texturam particulasque operationem cauſantes examinanda venient. Scio quidem, materiam disputationis hujus esse vulgarem, adeoque non omnibus, imprimis novitatum studiosis, qui curiosa tantum desiderant themata, esse satisfactoriam, interim tamen nec hanc sine fructu fore confido: Faxit modò supremum Numen, quod studiis meis hætenus ex alto benedixit, ut & brevis hæc tractatio thematis hujus quanquam vulgaris in sui nominis gloriam, proximique emolumentum cedat!

CAPUT I.

De,

SELECTIS VOMITORIIS.

§. I.

Vomitória in genere considerata sunt *Medicamenta, quæ acrimoniâ suâ acidisulphuræâ nauseosâ œsophagum cum ventriculo vellicant, motum peristalticum inveriunt, sicque*
con-

sententia tam ventriculi, quam intestini duodeni per superiora evadunt.

§. II.

Subiectum, quod Vomitoria afficiunt, est duplex, Immediatum & mediatum.

§. III.

Immediatum est *Ventriculus*, in specie *tunica* ejus *nervea* & *carnea*, quæ propter consensum intestinum duodenum & in eo ductum pancreaticum & cholodochum, concurit, & ad secretionem stimulat, quod probant vomitus ex calculo renum, colica, passione hysterica, vulneratione capitis, & digiti in œsophagum intrusione exorientes, quæ omnia ex sola connexione & communicatione nervorum deducenda.

§. IV.

Mediatum subiectum est *Sanguis*, quod probant Vomitoria sanguini infusa vel externè applicata, quæ eundem effectum ac si internè essent sumta nimirum Vomitum causantur. vid. Boyl. experiment. part. 2. p. 53. seqv. Conf. Ephemerid. Nat. Curios. German. dec. 2 an. 1. p. 120.

§. V.

Natura Vomitoriorum consistit in *acrimonia acidosulphurea nauseosa*, nam non omnia acidosulphurea talem effectum præstant, sed talia tantùm, quæ cum contactu ventriculi spiritibus tumultantur, eosque in motum inordinatum rapiunt. sicque motum peristalticum invertunt, quod probo (α) ex Mercurio vulgi, qui in Aquaforti solutus, & sale præcipitatus ad grana ij vel iij vomitorium est, β ex Antimonio diaphoretico, quod aëri liberiori expositum sicque de nouo sale acido imprægnatum, fit Vomitorium.

§. VI.

Scio quidem, multos circa Vomitoriorum naturam contrariam fovere sententiam, quatenus tota die experiuntur in hypochondriacis, vim vomendi si acidum adest manifestum, adeo infringi, vt vomitus loco tantum sequatur secessus; quia autem acida Vomitoria figunt, hinc eorum naturam in acrimonia

monia acidofulphurea minimè confiftere putant; Verum prius nimirum vim vomendi ab acido primarum viarum imminui quam libentiffimè concedo; confequentiam tamen, nimirum, Vomitoria non edere effectum ob particulas acido sulphureas abfolutè nego. nam experimenta circa eorum naturam investigandam instituta, eorum texturam, nimirum acrimoniam acidofulphuream demonftrant: Figit ergo acidum primarum viarum purgantia, folitariè terreas & sulphureas particulas ab acido feperando, ficque caufam naufeæ demendo: Acida enim per fe non funt naufeofa, nec vomitum excitant; quando autem sulphur imprimis inæquali proportione admifcetur, naufeofus oritur fapor, facillime fpiritus in motus inordinatos rapiens, ficque vomitum excitans. Operantur ergo Vomitoria non folitariè propter acidum, nec sulphur, fed ob particulas acidò sulphureas naufeofè compactas, propter quas etiam vomitus oriuntur ab efü fruſtuuum horæorum, & in paroxyfmis febrilibus: Falſum enim eſt, quod ſibi concipiunt Medici, in iſtis caſibus prouenire vomitum à fale alcalino bilis, folitariè enim fal acidum primarum viarum cum sulphure bilis ſe combinante, & alcali eius tumultuante vomitus excitat, quod videmus in Vomitibus æruginoſis terreis & alcalinis in caſu hoc propinatis, quæ acidum abſorbendò ſtatim omnes vomitus corrigunt, & figunt, manifeſtâ probatione, naturam vomitoriorum folitariè in acrimonia acido-ſulphurea naufeofa confiftere.

§. VII.

Nunc Vomitoria ſelecta in ſpecie conſideranda veniunt, ex quibus folitariè placent; *Mercurius vite*, *tartarus emeticus*, *infuſum vitri antimonii*, & *oxyſaccharum emeticum*, quæ quod ob particulas Sulphureas ſuas edant operationes, variis experimentis ſequentibus probabo.

§. VIII.

Mercurius vite ab acidis affuſis nullam ſuſcipit mutationem, ab alcalibus verò maceratus tumultum excitat, hinc
Sal

Sal acidum in eo contineri concludo, quod & eò clarius reddit ejus præcipitatio, quatenus ex butyro antimonii corrosivo sola aquæ affusione præcipitatur; quando verò Sal acidum immutatur, h. e. quando post edulcorationem igne forti calcinatur, omnis perit vis vomitoria, Mercuriusque hic fit sudoriferus: De hoc Mercurio vitæ adhuc notetur, maximam Recentiorum partem in ea versari opinione, quod falso dicatur Mercurius, quatenus potius constet portione reguli antimonii; Quamvis enim cum limaturâ Martis tractata verum exhibeat Mercurium currentem, tamen vulgaris operatio, quâ Butyrum Antimonii paratur, quæ facile aliquid Mercurii Sublimati crudi simul propellit, reddit suspensum negotium.

§. IX.

Tartarus emeticus ab affusis acidis non effervescit, maxime verò ab alcalibus, quod & ex ejus compositione probatur: Paratur enim ex *Croco metallorum edulcorato* & *crystallis tartari anatica proportione sumtis per aque fontane in olla vitrea a collisionem, & filtrationem per chartam*, ubi acidum tartari ex antimonio saporem nauseosum vitriolaceum impetrat, quod demonstrat sapor tartari emetici: Si verò tartarus hic cum alcalibus miscetur, vis omnis perit vomitoria, hinc sale cardui benedicti vel absynthii mixtus tantum per inferiora purgat, imo si forti igne calcinatur, sicque acidum tartari alcalifatur, omnis perit vis vomitoria & purgans.

§. X.

Infusum vitri Antimonii fit vomitorium, quando acidum vini cum particulis antimonii sulphureis se combinat, e. g. quando vitrum antimonii cum succo cydoniorum coquitur, paratur exinde syrupus vomitorius. Tilemannus cum multo aceti ex vitro antimonii suam parat sapam vomitoriam cum aceto rosaceo addito cinnamomo Zedoaria angelica. Paratur & ex eo syrupus emeticus Angeli Salæ, quæ vomia-

B

tori-

toria in univēsum omnia ob particulas acidofulphureas nau-
feofas fuam edunt operationem.

§. XI.

Oxyfaccharum emeticum à Ludovico in Pharmacia sua,
maximè laudatur, componitur ex *Croco metallorum edulcorato*
mediante aceto, *addito faccharo*, ubi etiam folitariè Sal acidum
ex Croco metallorum naufeofum faporem extrahens excitat
vomitum.

§. XII.

Dofis vomitoriorum quod attinet, circa eam notetur:
qui Vomitorium (α) *Lene* defiderat, fumat oxyfacchar. emeti-
cum, cujus fumma dofis eft *Uncia femis*, quæ tamen pro diver-
fitate ætatis variè poteft imminui & quidem dentur *infantitri-*
meftri gr. ij, *unius anni* gr. iv. gr. vij. ad gr. viij. *puero quatuor*
annorum dr. fem. octo annorum, drachm. una, & fic porro. Qui
vomitorium (β) *Medium* defiderat, quod nec nimis forte nec
nimis debile fit, utatur *tartaro emetico*, qui omni ætati in dofis
vel aucta vel refracta dari poteft, dofis fumma in fubftantia
funt gr. iv. *in infuso fcrup. fem.* Scio quidem, multos Medicos
in ejus applicatione maximè fingulares effe, dicunt enim, tar-
tarum hunc quando pondus Salium refpectu antimonii au-
getur, vel fi fortius & diutius in igne coquitur, fieri poten-
tiorē, cum e contrario fi pondus falium imminueretur, fiat
debilior; hic verò fcrupulus eft de nihilo, omnibus enim
pharmacopæis nota eft ejus compositio; Omnes enim præ-
parant eum *ex croco metallorum & cryftallis Tartari anatica*,
portione fumtis, femperque coquitur ad cuticulæ apparen-
tiam, ita ut tutò & jucundè omnibus ægris dari poffit.
Qui tandem (γ) *fortius* defiderat vomitorium, fumat *infufum*
vitri antimonii, cujus fumma dofis funt *Unc. ij.* Notetur ta-
men, quod ad infufum illud parandum nihil impediat, fi ma-
jor vel minor quantitas de vitro antimonii fumatur: Vulgo
enim fumuntur gran xij. verum nec drachm. i. vitri antimo-
nii fortiorē vino imperitur vim vomendi, modò menftru-
um,

um, nempe quantitas vini determinetur, quæ quantitas ultra Unc. ij. ut jam dixi, non debet extendi. Cui verò infusum propter vinum additum, hincque contrahendam nauseam à vino conceptam, suspectum est, recipiat Mercurium vitæ probe edulcoratum recentem, ubi tamen in Mercurii vitæ præparatione Pharmacopæis non semper fidendum, quatenus eum non sufficienter edulcorant, vel diu nimis elaboratum asservant, hinc si Medicus de ejus præparatione, non satis certus redditus sit, vel propriâ manu eum elaboraverit, minus tutò dari potest, dosis ejus summa sunt gran. iij.

§. XIII.

Pergo ad *Cautelas*, ubi occurrunt consideranda *Subjuncta*: nam non omnibus subjectis propinanda sunt vomitoria, minimè enim danda *debilioribus infantibus & senibus viribus exhaustis*, illis propter spiritus nimis teneriores, his propter eorum defectum, nec *gravidis* propter metum abortus, nec *hernioss* vel propter fortem partium inferiorum concussionem, consequentem intestinorum prolapsum, vel omenti dilacerationem; nec *hemoptist, phibist, & hemorrhagiis narium & uteri* laborantibus, propter debilem partium confirmationem, nimiamque sanguinis profusionem; nec *hypochondriacis* propter acidum austerum, omnem vomendi vim eludens. E contrario danda vomitoria *assuetis & stomacho forti præditis*, sicque conveniunt *in omnibus morbis chronicis*, ubi natura vomitum intendit, v. g. in *mania* (a) in *Melancholia*, (b) in *affectibus soporosis*, (c) in *calculi renum*, (d) in *epilepsia sympathetica*, (e) in *apoplexia pituitosa*, (f) in *doloribus capitis inveteratis*, in *febris malignis* ante & post paroxysmum (g) in *intermittentibus* [h in *variolis & morbillis*, *purpura peste*, (i) in *nimis vigiliis*, (k) in *cataplesi & vertigine*, (l) in *partu difficili*, *fatu mortuo & secundinis pellendis*, aliis tamen (NB.) medicamentis irritis non sine effectu propinantur Vomitoria, in principio *apparente amarore oris cardialgia & anxietate præcordiorum*.

(a conf. Ephem. Germ. dec. 2. ann. 4. obs. 16. (b Willis. pathol. c. 9. p. 276. (c River. prax. Medic. lib. 1. p. 202. (d idem lib. 14. p. 415. (e Forest. lib. 18. (f Dolei Encycloped. Med. p. 492. (g Sydenham. sect. 3. p. 228. (h id. sect. 1. p. 93. (i idem sect. 1. c. 3. p. 36. (k Dolei Encycloped. Med. p. 405. (l id. p. 17. & 130.

§. XIV.

Ipsam tandem applicationem Vomitoriorum quod conernit, requiritur 1. ante eam, ut alvus si adstricta, enemate vel suppositoio solvatur, si verò humores visci & austeri peccant, digestivum præmittatur. 2. assumptio Vomitorio post semihoram ab assumptione medicamenti aqua non nimis calida sed tepida vel ejus loco cerevisia primaria vel secundaria cum butyro facta superbibatur, frigus autem & somnus, quæ duo vim Vomitorii penitus infringunt, cane & angve pejus fugiantur. Si fortius quàm par est operetur, lac calidum cum pane bis cocto præparatum, vel haustus vini generosi vel propter opium theriaca conveniunt. Externe ventriculo Emplastrum de Crusta panis cum theriaca, additò oleo caryophyllorum & menthæ applicari potest. 3 post vomitum os. Aqua calida vel vino austero eluatur, ventriculus verò vino Rhenano antiquo cum crusta panis confortetur, & reliquum naturæ quieti se tradens æger committat.

CAPUT II.

de

SELECTIS PURGANTIBUS.

§. I.

Purgantia in genere sunt medicamenta, que acrimonia sua acido sulphurea tunicam intestinorum glandulosam & orificium ductus cholodocchi & Pancreatis ad secretionem invitant, cum eorum contentis nimirum bile alcalina consignant, seque excrementa motu quasi fermentativò per alvum ejiunt.

§. II.

§. II.

Subiectum quod afficitur immediatum est *tunica intesti-
norum glandulosa & fibrosa cum ductu pancreatico & cholodoccho.*

§. III.

Mediatum est *sanguis & spiritus*, quod probant Purgantia
ventriculo, (a vel plantis pedum (b applicata, vel venis
infusa, (c imo tota die videmus in infantibus, qui lacte
nutricis purgans assumentis etiam purgantur. Et adhuc
Spiritus non infimum esse subiectum, exinde probo, *quia*
sepe solo purgantium odore soluitur alvus, ut in *Marsenio* Baravo
observavit D. Hofmann. (d alii visu, alii falso conceptu vel
sola tantum *imaginatione* purgant. Sic quidam pilula ex mi-
ca panis facta purgatus est, (e & ante annum Lipsiæ
studiosus quidam *bacillos saccharatos edens*, cui alter accedens
bacillis istis antea alvum fuisse solutam persuadebat, tantam
exinde contrahebat nauseam, ut vomeret alvumque de-
poneret, ac si optimum sumisset Vomitorium vel purgans.
Ex quo exemplo patet, quantum *nausea contracta* valeat ad
purgationem, quatenus spiritus purgantium more serum li-
quant, & intestina ad secretionem stimulant: Spiritus enim
autor vitæ & mortis nostræ sunt, facillimeque ideam mor-
bosam & medicamentosam assumere possunt.

(a vid. Schenk. lib. 8. (b Höfer. in Hercul. Med. p. 201. (c vid.
Journal. de Scavans (d Hofmann. de method. medend. c. 8. (e Alt.
Nat. Curios. a. 7. obs. 38.

§. IV.

Natura Purgantium consistit in *acrimonia acido-sulphu-
rea nauseosa* ut ex sequentibus patebit, Triplicis autem generis
sunt: 1. Mitiora, s. laxantia, 2. Mediocria, & 3. forsiora
De singulorum selectu seorsim.

§. V.

Ad laxantia seu mitiora referuntur: *Pulpa tamarindorum,
Manna, Mercurius dulcis, & Syrupi.* Quæ quod propter parti-

eulas acidofulphureas cum bile tumultuantes, sicque fermentationem operentur, in sequentibus demonstrabo.

§. VI.

Pulpa tamarindorum saporem habet subacidum, & fi lacte coquitur, lac in caseosas præcipitat particulas: sic & eorum decoctum cum alcalibus effervescit, neutiquam verò cum acidis, quod & ulterius ex fructibus horæis imprimis immaturis, qui propter acidum diarrhæam excitant, probatur.

§. VII.

Manna juxta Boronis curiosas observationes est *gummi ex plantis arboris in Calabria Orni vel Ornelli dictæ, acido autem salsum in eo contineri* probat sapor subacris & subdulcis, & destillatio, quâ spiritus acidus metalla solvens acquiritur, & tandem infusum, quod minimè ab acidis, maxime tamen ab alcalibus præcipitatur.

§. VIII.

Mercurius Dulcis componitur ex *Mercurio crudo, & Mercurio sublimato per sublimationem*, ubi acidum Mercurii sublimati cum Mercurio vivo se combinans constituit mixturam acidò salam, quod medicamentum tamen, quia acidum non exsuperat, non adèò fortiter stimulat, sed maxime lenioris est operationis, ita ut nisi accedat stimulus, facilè frustra & sine effectu propinetur.

§. IX.

Syrupi tandem qui huc pertinent sunt sequentes: *syrupus de spina ceruina seu infectoria, syrupus cichorii cum Rhabarbaro, syrupus & mel rosarum & violarum*. Et hæc Medicamenta tantùm *infantes* purgant, quia ob particulas fermentescibiles humores liquant, fibras infantum tenerimas ad secretionem stimulant, sicque leniter purgant.

§. X.

Hæc de *laxantibus*. Sequuntur *Mediocria* purgantia, nempe *aloe, rad. rhabarbar, folia sennæ, & Gialappa*.

§. XI.

§. XI.

Aloes natura à pluribus putatur esse *alcalina* propter saporem suum amaricantem, falsum tamen est, saporem hunc provenire à sale alcalino, uti fusius illud demonstrat D. Schröer (a *Aloen* potius naturæ acido sulphuræ esse probant experientia cum infuso eius instituta, quatenus ab affusis acidis nulla observatur ebullitio, maximè autem ab alcalibus præcipitatur, sic etiam per destillationem spiritum, exhibet acidum, imo ulterius probat Elixir Proprietatis cum acido factum, quod longè fortioris operationis, quàm quod cum alcali paratur; quod posterius sæpissime absque ullo effectu exhibetur.

(*2* vid. ejus tractat. de opio §. 12. p. 32.

§. XII.

Rhabarbari radix multis quidem constat Particulis *terreis*, ob quas etiam optimo cum effectu in Diarrhæis propinatur, interim tamen multas etiam particulas *acido sulphureas* possidet, uti probat eius in *aqua facta solutio*, quæ acidis instillata nec consistentiam nec colorem mutat, maxime verò color eius ab *oleo tartari per deliquium* (quod alcali est) immutatur, hinc etiam tinctura Rhabarbari cum alcali parata, nullam habet laxandi vim, contrà vero spiritu falis aut nitri acuata optimè laxat alvum, manifestâ probatione, & hanc radicem ob particulas acido sulphureas suam edere operationem.

§. XIII.

Foliorum sennæ infusum cum lacte factum lac in caseosas præcipitat particulas, nec ab acidis sed ab alcalibus mutatur.

§. XIV.

Gialappæ radiceis decoctum & infusum solutionem Mercurii sublimati præcipitat, ut faciunt omnia medicamenta ex sulphure participantia, hinc experimentis cum solutione Mercurii sublimati institutis minime fidendum, sed potius sumenda sunt *acida pura*, v. g. *spir. Salis, Nitri, Vitrioli*, quæ omnia solutione radiceis Gialappæ institutâ nullam excitant alte-

alterationem, maximè verò ab oleo tartari per deliquium & Sal. Volatil, Urinæ infusum illud alteratur.

§. XV.

Pergo ad Purgantia fortiora, quò referuntur : *Resina Gialappæ, resina scammonii, gummi gutta, trochisci albandali, & radix hellebori nigri.* De singulis seorsum.

§. XVI.

Resina Gialappæ per destillationem exhibet spiritum acidum, nec solutio facta in aqua ab acidis menstruis turbatur.

§. XVII.

Resina scammonii idem præstat : Nam eius solutio ab affusis acidis clarescit, ab alcalibus verò statim in colore & consistentia sua alteratur & turbatur. Volunt quidem Medici illud scammonium castrare acidis, ut fumo sulphuris, quod deinde audit dyagrydium, vel succo cydoniorum, quod vocatur cydoniatum, est falsè. Nam sal alcali in hac resina existere putant, quod acidis istis figere intendunt, contrarium tamen probant experimenta jam recensita : nam resina scammonii acidis istis magis in virtute sua augetur, contra verò alcalibus vis ejus purgans totaliter perditur, ut unusquisque in se ipso probare poterit.

§. XVIII.

Gummi Gutta naturam plurimi deducere volunt ex sale volatili oleoso, ipse verò contrarium statuo, nam quam rigoroso ignis examine sal quoddam volatile oleosum ex eo extorqueri possit, minimè tamen exinde purgantium naturam demonstrare possunt, quia productum illud nullam purgationem excitat, ignisque potius combinat, quam separat, nec verus corporum est analysta, contra vero solutio gummi Guttae in Aqua facta particulas demonstrat acidis sulphureas veras purgationum causas : nam si acidum v. g. Spir. Salis Nitr. sulphur. & succus citri solutioni instillatur, nulla contingit alteratio & præcipitatio, quando verò infunditur sal solutum alcali v. g. sal tartur. genist. centaur. mi-



nor ; statim oritur effervescencia, imo destillatione exhibet spiritum acidum, hinc concludendum, hoc medicamentum ob nullas quam *acido sulphureas* particulas operari.

§. XIX.

Trochisci albandali ex colocynthidis fructibus parati jam sequuntur, quorum *extractum* in Aqua solutum præcipitatur ab alcalibus affusis neutiquam acidis, imo etiam *destillatione* spiritum acidum exhibet.

§. XX.

Radix bellebori nigri in destillatione itidem spiritum exhibet acidum primis diebus nec cum acidis nec cum alcalibus tumultuantem, post octiduum verò cum omnibus alcalibus effervescentem, sic & *Aqua* ex ea *destillata*, quæ acerrimi saporis est, cum *acidis* non tumultuatur, *maximè* verò ab *alcalibus*, sic & decoctum ejus ab *oleo tartari*, non verò à *spiritu salis* vel *Nitri* præcipitatur, imo si infusum cum vino paratur, vires ejus magis exaltantur, hinc etiam hæc radix ob particulas operatur *acido-sulphureas*.

§. XXI.

Sequuntur *Cautela* circa Purgantium Usus necessario observande, hæ respiciunt *dosin*, *agrum*, *tempus*, & *ipsum purgationis actum*.

§. XXII.

Dosin quod attinet, debet hæc pro diversitate medicamentorum variari: aliam enim requirunt *Laxantia*, aliam *medicoria*, aliam denique *fortiora purgantia*.

§. XXIII.

Laxantia v. g. (*a*) *Manna* datur *infantibus* magis quam adultis, *dosis* ejus est (N in *pueris* *drachm. ij* vel *drachm. iij.* (C in *pregnantibus* *Unc. β* (I in *adultis* *Unc. jad* *Unc. ij.* debet tamen esse *receptis*, aliàs summè nociva est (β *pulpa tamarindorum* adultis in sero lactis exhibetur ad *Unc. sem.* (γ *Mercurius dulcis* adultis à *scrupul. β.* ad *drach. β.* in forma *pilulari*, *pueris* potest dari ad *scrup. sem.* cum *syrupo cichorij cum Rhabbarbaro*, *syrupo*

C

rosar.



rosar. solutiv. violato, simplex & compositus dantur *infantibus* folitarie, dosis est ab *Unc. β. ad Unc. j.*

§. XXIV.

Mediocri a. v. g. (α) *alōe* eiusque præparata e. g. *alōe violata rosata*, semper datur *semihora* ante *cenam* à *drachm. β. ad drachm. j. β.* Rad. *Rhabarbar.* in *substantia* exhibetur à *drachm. β. ad drachm. j.* in *infuso* ad *drachm. iij.* (γ) *folia semæ* dantur in *substantia* ad *drachm. j.* in *infuso* & quidem in *latte* vel *aqua frigida* juxta *Poterium* & *Hofmanum* (α) ab *Unc. β. ad Unc. j.* S. rad. *Gialappe* in *substantia* exhibetur ad *drachm. β.*

(α) vid. Hofm. Pharmacop. spagyric. p. 422.)

§. XXV.

Fortiora dantur & quidem 1. *resina Gialappe adultis* à *scrupulo β. ad gran. XV.* in *forma pilulari* vel *emulsione*, in qua effectus ejus est *felicior*. 2. *resina scammonii, diagyridium* & *Cydoniatum* dantur in *pilulis* vel *emulsione* à *scrupul. β. ad gran. Xij.* 3. *Gummi Gutta* in *pulvere* vel *pilulis* datur à *gran V. ad scrupul β* 4. *trochisci albandali* dantur in *pilulis* à *gran VI. ad gran Xj.* *extractum* verò à *gran ij ad iij.* (5. *rd. hellebori nigri* in *infuso* à *drachm. ij. ad Unc. β. exhibetur.* *Hec de dosi sufficiant.*

§. XXVI.

Circa *agrū* obseruanda sunt, quod *Purgantia* i conveniant (1 si *tormina* sine febre, *lumborum dolores*, *genuum gravitas* in *partibus septo transversis* existentes in *ventre inferiore* adsunt, & *humores in quantitate peccant*; 2. si *alvus suppressa*, & ex ea *capitis dolores*, *flatus*, & *caligines* proveniunt, nam *alvo laxa* quanquam adsint *dolores capitis*, *minimè* tamen *purgandum*. 3. si *sudor nocturnus incoenato supervenit*, indicat enim *humorum peccantium abundantiam*, eorumque *evacuationem* (4. si *Urina* manentibus *præcordiorum anxietatibus sedimento multo repleta*, 5. si *menses* sunt *decolores*, nec eodem modo & tempore fluunt; 6. si *caput dolet*; *oculi caligant*, *biliosa ad ventriculum assurgunt*, *alvusque est obstructa*, 7. imo in *plurimis morbis chronicis*, *podagra*, *chiragra*, *arthricide*, *catarrhis* &

coryza. E contrario 2. *minimè* conveniunt purgantia 1. *pueris* propter spiritus nimis teneriores, 2. *senibus* propter defectum spirituum. 3. *morbis emaciatis, & pinguibus*, quia his medicamentis illi magis extenuantur, & hi suffocantur, 4. *plethoricis*, quia purgantia humores nimis dissolvunt, sicque hæmorrhagias graves excitant, si verò necessitas summa purgationem urgeat, antea *vena secanda*, & postea *lene purgans* seu *laxans* exhibendum. 5. *Tabidis & hæticis*, hi enim ob atrophiam & alimenti privationem nullam nisi cum summo vitæ periculo purgationem ferunt, sæpe enim talibus propinata purgantia fluxum alvi excitant lethalem. 6. *nec pregnantibus* in initio & fine gestationis propter abortus metum purgandæ sunt, tandem etiam menstruatis, febribus malignis ardentibus, viscerum inflammatione & læsione laborantibus purgantia *non nisi cum summo vitæ periculo* propinanda sunt, restant 7. *sani & insueti*, quibus exinde non conveniunt, quia facile fiunt vertiginosi, & corripiuntur convulsionibus, purgatio illis difficilimè succedit, summopereque torquentur, teste Hippocrate a Celso β, & Fuchsio. γ.

(α. de ventris usu. β. lib. 2. cap. 13. de vomitu p. 87. γ. institution. Medic. lib. 2. sect. 5. cap. 16.)

§. XXVII.

Tempus quod attinet, triplex attendendum Anni, diei, horæ.

§. XXVIII.

Anni tempus optimum est ver & autumnus, quatenus in his temporibus humores sunt turgentiores, plurimis enim *æstas ob calorem, hyems ob frigus est suspecta*, puto tamen necessitatem & hic loci lege carere: si à natura purgationis actus indicatur.

§. XXIX.

Diei tempus est dies calidus & humidus moderatè tamen sic constitutus, novilunium & ultima luna quadrans, in febribus tertianis est dies à paroxysmo vacuus, in quartanis ante diem accessorium, vel

*hōc ipso die accessōrio, in continuis non nisi in declinatione ultima; die
verō critico summoperè vitanda.*

§. XXX.

*Horā, semper optima est matutina, jejuno adhuc ventriculo,
quāquam multi reperiuntur Medici, qui cum cibis purgan-
tia propinant, sed aloētica semper danda vesperi ante coenam, quod
probe observandum.*

§. XXXI.

*Ipsam purgationem quod attinet, requiritur 1. ante eam,
ut si humores viscosi tenaces & pituitosi sunt, digestiva prēmitan-
tur, si alvus adstricta, chysmate solvatur. 2. in ipso purgationis
actū (& purgans propinetur calidè, ne utiquam verò frigidè. β
si nausea oritur, ea bene olentibus statim figenda, γ. locus in quo
æger continetur, sit itidem calidus, d. purgante assumto per ho-
ram unam vel alteram in lecto quiescat, ne utiquam tamē, ut non
diu quidam imperitus fecit, dormiat, nam somnū omnis vis
totaliter destruitur. ε operante medicamento surgat & à frigi-
do aère & lacticiis totaliter abstineat ζ. si non operatur, superbi-
bat potum Cerenisæ calidè, ubi cremor tartari solutus, vel infusum
Theæ vel Coffeæ, (nisi nimis fortiter, lac tepidum vel theriacam cum vi-
no superbibat, vel emplastrum ex theriaca factum regioni ventriculi
imponat. 3. post purgationem vitet cibos duros, potumque frigi-
dum, & utatur brodio pulli vel jusculis detergentibus calidis, nec
blande anodyna vesperi post purgationem nocent, siquidem his
omnia in quietem rediguntur.*

CAPUT III.

de

SELECTIS SUDORIFERIS.

§. I.

S*udorifera sunt medicamenta, quæ vel sanguinis motum intesti-
num & circularem adaugent, serososque humores in halitus*
com-

convertunt, vel motum sanguinis circulem rapidiorem corrigunt, serum à grumo dividunt, illudque per poros cutis eliminant; totumque corpus à superfluis & excrementitiis humoribus liberant.

§. II.

Vocantur aliò nomine *diapnoica*; differentia tamen saltim est *gradualis*, si enim *transpiratio insensibilis tantum promovetur*, *diapnoica*, si verò augetur, halitusque in guttulas colliguntur, imò totum corpus mader, sudorifera audiunt, quanquam diversa hæc operatio non medicamentis, sed potius egrotantis regimini adscribenda.

§. III.

Subiectum quod afficitur (α) Immediatum sunt glandule *miliares subcutaneæ*, ad quas tendunt arteriolæ per quas serum ad glandulas defertur, ibi transcolatur, & per proprios poros excretorios fecernitur, β . mediatum est *tota Massa sanguinea*, ejusque partes tam laudabiles, quàm illaudabiles, quod probant foetores & odores sudorum diversi, languorque virium sudores ut plurimum concomitans, quandoque sudor in scorbucis arenosus tartaro, qui matule lateribus adbarere solet, non absimilis cernitur, ut annotavit Horstius, (α & Bartholinus) β

(α in Manuuct. ad Medicin. p. 133. β Barth. Cent. I. hist 34. p. 59.

§. IV.

Natura & modus operendi non est uniusmodi: Quædam enim agunt *positivè*, quædam *privativè*, de quibus mox plura.

§. V.

Positivè operantur massam sanguineam resolvendò, rarefaciendo, & utrumque sanguinis motum adaugendo, quò pertinent α salia volatilia tam urinosa quàm mediæ naturæ, vegetabilia, β salino & alcalino-fulphurea.

§. VI.

Urinosa quod attinet, v. g. Sal. Vol. & spirit. Cornu cervi,
C 3 *eboris,*

eboris, cranii humani, sanguinis humani, viperarum, cornu alcis, sal ammoniac. sal votabil. de osse cordis cervi, spiritus fuliginis, & alia medicamenta, hæc omnia quidem ratione modifendi sibi sunt similia, eorumque præcipitatum est lacteum, ratione verò texture maximè variant; sic spiritus Urine solutione Mercurio sublimate affusus præcipitat materiam flavescens, spiritus verò salis ammoniaci lacteam, probat & hæc odor: Nam quanquam omnia medicamenta Urinosa Urinosum spirant odorem, à solo tamen odore sal Ammoniacum à sale Cornu Cervi, viperar. fuligin. distingui potest, imo intimè pensitata hæc Urinosa ratione Viriatis etiam differunt; reveraque aliter in sudore pelendo se habet (a. spiritus fuliginis, qui in omnibus morbis desperatis, imo ægris jam agonizantibus optimum est remedium: sudor enim hoc assumpto spiritu sequens, signum reconvalescentiæ verum est, maxima enim in quantitate mundi continetur spiritus ex lignis separatus, qui fluori suo redactus summa præstat, imo vix dubito, si spiritu hoc reëtificato & sale fixo unito solutio Solis institueretur, hæcque solutio in phiola hermetice sigillata leni igne coagularetur, & tam diu in igne philosophorum contineretur, donec color niger albus & flavus rubeusque apparet, inque medio coaguli contineretur, quoddam splendens granum rubeum, quod aurum Philosophorum est, hocque granum de novo cum spiritu fuliginis coagularetur, coagulaturnque, cum spiritu rosarum abstraheretur, sane vera Tinctura Solis haberi posset, in morbis desperatis ultimum & optimum remedium: Qui plura de hac re legere, cupit, evolvat Anonymi Curiosa de vera Alchymia nuperrimè modo edita. ubi cap. III. veram ejus tincturæ descriptionem curiose tractatam inveniet. Sic & in operatione aliter se habet β. Spiritus Cornu Cervi, & spiritus de osse cordis cervi, qui rarè turò in morbis dubiis & agonizatis dantur, imo semper & ubique febribus malignis & gravioribus symptomatibus constiparis sine effectu propinantur, uti Lipsiæ in multis exemplis videre licuit. Quanquam verò in istis morbis non propinandus
spi-

spiritus fuliginis, interim tamen *optimum* remedium est in *vertigine*, *epilepsia*, *affectibus soporosis*, *passione hysterica*, paucis *ubicunque spasmus est convulsivus* & *omnis generis convulsiones alia*, quales effectus etiam præstant *γ spiritus eboris*, *Ungul. alcis* & c. Ulterius in operando *spiritus fuliginis* differt 4. (*Id à reliquis Urinosi, spiritu cranii & cerebri humani*, qui non modo solitarie specificè *Epilepsia* modetur, sed & in defectu *spirituum* & *impotentia virili* est arcanum paucis hodie notum.

§. VII.

Possẽm quidem pluribus adhuc *Urinosorum* differentiam describere, & quanta se exhibeant in *microscopiis*, demonstrare; cum verò hoc iam ab aliis factum, libens prætereo, & ad alia medicamenta pergo.

§. VIII.

Sequuntur *salia medicæ naturæ seu Vegetabilia*, ex quibus tamen hodiè *paucæ in substantia* propinantur, exceptis herbis, v. g. *card. benedict. radic. imperator. & gentian.* quæ tamen in morbis chronicis, in specie febribus intermittentibus satis notæ, & operantur *ob sal medicæ naturæ ad sal alcali propter multam combinatam terram resistentem, acidum absorbendo, & visciditates resolvendo, sanguinisque motum intestinum & circularem adaugendo.*

§. IX.

Paris Virtutis sunt *sa lind sulphurea*, ut *spirit. flor. sambuc. rosarum, essentia theriacalis, pilule Schröeri*, quæ pilulæ in morbis chronicis & acutis loco omnium esse possunt, quas multoties jam probavi, cumque illis mira præstiti, Nam quò maior morbi vis est, eò majores earundem sunt vires: Nam qui sanus est, illi & hæ pilulæ sicut omnia medicamenta *nihil profunt*. Ego verò earum tribus tantum adhibitis, *desibus à quotidiana febre & inveterata jam curavi per Dei gratiam. Qui plura de iis legere desiderat, evolvet D. Sam. Schröer. tractatulum de istis pilulis ante duos jam annos Lipsiæ impressum.*

§. X.

§. X.

Dicta autem Medicamenta ob particulas *salinò sulphureas* operari, probant eorum *compositiones*, ingreditur quidem *di-etas pilul Schröeri. sal quoddam volatile Vrinofum non vulgare*, istud verò ab acido sulphureo combinato ligatur, & in *salsum sic mutatur*, ut nec odore, nec sapore percipi possit, hinc solutio harum pilularum in aqua facta nec ab affusis acidis, nec alcalibus volatilibus pariter & fixis alteratur, & precipitatur, sed potius in colore suo propter exacerbatorem sulphuris intenditur, qui effectus etiam in examine reliquorum medicamentorum sulphureorum salinorumque sequitur.

§. XI.

Alcalino sulphurea jam consideranda veniunt, ex quibus præ cæteris eminent *Tinctura bezoardica sine acido*, nimirum, cum spir. tartari vel Cornu cervi, vel juxta mentem *Ludovici* (& spiritu salis ammoniaci acuta, item. *Tinctura antimoniï, spirit. bezoardic. Bossii, spir. salis Ammoniaci castoreatus, lavenderulatus, succinatus, caryophyllatus*, qui posteriores in morbis chronicis exceptis acutis, non satis laudandos præstant effectus. Hæc autem Medicamenta ob particulas *alcalino sulphureas* suum edere effectum, probo ex eorum *compositione, odore, & sapore*, imo si acidum v. g. solutio Mercurii sublimati infunditur, effervescent, & lactescunt. Inter hæc & referri mereantur *Aquea*, ut infusum Theæ & Caffè, decoctum lignorum, que defectam seri adaugendo, & visciditates sanguinis attenuando, optime sudorem promouent, imo in subjectis ficcioribus feliciter quam alia sudorifera operantur.

§. XII.

Privativè operantur acidum absorbendò terrea & acida.

§. XIII.

Terrea sale a) volatili dotata v. g. terra sigillata, vi ignis exhibent spiritum & sal Volatile, *lapid. percarum, cancerorum, ebur, sine igne preparatum, perla, lapides bezoardici, calculi humani, & aliorum animalium, unicornu verum, & fossile, mandibul. lucii piscis,*

piscis, cranium humanum, ossa sepiæ, specific. febrifugum. Strobel-bergeri (quod solitariè ex matre perlarum per horam in Aqua cocta & postea siccata & pulverisata constat:] it. lapis *percarum* & *Porco*, qui in folliculo fellis hystricis reperitur. *Sale fixo constantia*, v. g. *antimonium diaphoreticum simplex* & *Martiale*, *bezoardicum Jovial. Solar. Lunar. Martial. antihæclicum Poterii*, *regulus antimonii medicinalis*, *Mercurius diaphoreticus, sudoriferum Blegny Fabri*, quæ recensita medicamenta omnia non cum vulgo Medicorum pro calcibus inutilibus, sed pro corporibus *terra metallica* & *sale fixo constantibus* æstimanda sunt. Ea autem *sale fixo constare* partim *ex preparatione*, partim *ex operatione* probatur: Nam ob tales particulas cum aliquibus acidis effervescent, eaque dulcificant, *terra* autem ea constare *metallica*, igne immediate adhibito fusorio patet, nimirum si terra metallica carboni excavato inditur, regulus apparet. Priora autem medicamenta *sale constare volatili*, probat *examen ignis*, quo adhibito *spiritum Volatilem* & *Urinofum* fundunt. Scio quidem, multos hac probatione non fore contentos, nec sine ratione, quia ignis producta de naturali corporum horum crasi sufficienter restari non possunt, interim tamen quanquam demonstratio hæc minus est sufficiens, eam tamen probat *limatura corporum*, nimirum quando limantur, *sal volatile* nares nostras petit, imo ob eandem rationem nempe *limaturam*, *sal volatile* formaliter in eo existens simul *spiritus auget*, *salia peregrina corrigit*, *sanguinisque motum promovet*, hinc potius de eorum operatione ita judico: nimirum *terrea ista* ob *particulas terreas* operari *in primis viis acidum absorbendò*, ob *sal verò volatile* in *secunda & tertia corporis regione sanguinis & spirituum motum ad augendò*, sic, ut eorum usus potius dicendus sit *positivus* quam *privativus*, quod & plurimis experimentis ex praxi desumptis demonstrari posset, si tempus permitteret.

§. XIV.

Altera privativè operantium classis sunt *acida* eaque (ca
D per-

perfectè acida ut spiritus salis, niri, clyffus antimoni, spiritus buxi, guajaci, ligni quercini, quæ etiam non operari puto, ac si motum sanguinis rapidiorem coagulando corrigerent, sicque motum intestinum & consequenter sudorem promouerent, sed ego quàm maximè ea *positivè* operari dico, nimirum ob *spicula salina sanguinem usque ad extra resolvendo, sicque sanguinis motum circularem ad augendo & sudorem pellendo*, revera enim omnia acida in primis viis alterantur, & in *salsa* abeunt β *acido-sulphurea*, e. g. *mixtura simplex, vinctura bezoardica cum acido parata, spiritus nitri dulcis, Spirit. Vitrioli cephalicus, acetum bezoardicum, exceptis saltem opiatis*, quæ omnia medicamenta ob *particulas acido sulphureas non privativè sanguinem condensando, & celeriore ejus motum corrigendi, sed positivè, sanguinis motum adaugendò ejusque texturam resolvendò, operantur*, quia in primis viis *acida in salsa* transmutantur, ut inferius patebit. *Opiata* γ . quod concernit solitariè ob *particulas acido sulphureas spiritus irretiendò figendo, inque suo motu perturbandò sanguinemque exagitando*, operantur, quatenus eorum *salia volatilia acida* propter subtilitatem statim omnes poros permeant, nec alterationem in primis viis expectant, uti fusiùs illud deduxit D. Schroër in tractatu de opio. Hæc de sudoriferis.

§. XV.

Cautele respiciunt ægrum, medicamenta, modumque operandi.

§. XVI.

Circa ægrum notanda sunt *subiecta* quibus 1. *non conveniunt*, ad quam classẽ referendi sunt illi (a. quibus *prime via cruditatibus repleta*, quatenus per illa cruditates omnes ad massam sanguineam rejiciuntur. β . quibus *humores sunt visceridi & tenaces*, uti videmus in melancholicis & pituitosis, in specie morbis chronicis & febribus intermittentibus v. g. tertianis, quartanis, quotidianis, quibus *sudorifera applicata, excitant viscerum inflammationes, phibisn, aliæque symptomata*, imo ipsam non rarò mortem, quod & videmus in *cachecticis*
& sca-

Et scabiosis, quibus sudorifera maximè sunt nociva, illaudabilia enim laudabilibus conjuncta vix sine damno extirpari possunt. γ. Quibus sudores fluunt difficiles, maximè enim debilitantur & læduntur, si ad sudorem, vel lateribus calefactis, plantis pedum applicatis, vel alio modo cogantur. Omnis enim sudor coactus est nocivus, quatenus exinde motus impediuntur naturæ, sicque tota natura destruitur, (δ nec pueris & infantibus, propter sanguinem nimis chylosum & gelatosum, senibus, & morbis debilitatis propter defectum seri & spirituum, gravidis propter debilitatem foetus, vel metum abortu, & puerperis propter fluentia lochia. 2. Conveniunt è contrario sudorifera subjectis quibus vires adhuc constant, sanguineis & ad sudorem dispositis, illisque quibus natura crisin per sudorem intendit, hinc in specie laudantur, (α ubi subitanea evacuatione heterogenei maligni opus est, præter variolas & morbillos, in petechiis, purpura & aliis febribus pestilentialibus, si non cum colliquatione seri & sanguinis contingunt, item in pruritu & lue Venerea (β ubi sanguis in motu suo turbatur, ut in omnibus obstructionibus serosis pariter ac sanguineis, v. g. in pleuritide, peripneumonia, erysipelate, obstructione mensium, doloribus capitis, malo ischiatico, arthritide vaga & fixa, in paralyfi, spasmò, catarrhis, imò in omnibus morbis chronicis preparato tamen priùs corpore & humoribus.

§. XVII.

Medicamenta quæ superius allegata fuerunt, non conveniunt in omnibus morbis ubi sudatione opus est, sed pro diversâ sanguinis habitudine diversa requiruntur sudorifera. sic α ubi lymphæ & sanguis coagulata sunt, danda sudorifera de sale Volatili participantia, sanguinemque condensatum resolventia, qualia §. 6. notata sunt, β. ubi verò Massa sanguinea nimis resoluta, ut in febribus colliqvativis malignis accidit, danda sunt medicamenta terrea §. 13. & blandè acida §. 14. allegata, γ. ubi tandem humores viscosi & tenaces, laudantur salino-sulphurea, §. 9. perfecte salsa ut arcan. duplicat. sal ammoniac. & alia, alcalino-salsa, ut li-

quor. C. C. succinat. liquor terre foliat. tartar. & acido-sulphurea
§. 14. allegata.

§. XVIII.

*In modo applicandi attendenda sunt tempus & regimen; ægri
Tempus laudatur vernum & autumnale, quibus temporibus fe-
rum in sanguine exsuperatur, morbi que lymphatici & fero-
figrassantur, in specie vero tempus matutinum ventriculo
adhuc vacuo & chylis iam distributo: si enim repleto ven-
triculo fumantur, chylificatio & ejus distributio impeditur,
quia lymphæ tanquam chylificationis chylisque distributionis
causa, ope sudoriferorum ad peripheriam corporis defertur.*

§. XX.

*Circa regimen attendenda quædam assumto sudorifero, quæ-
dam sudore finito.*

§. XXI.

*Assumto sudorifero a habitus externus calore moderato non ex-
cessivo, nimirum tegumentis probe coerendus & caput promineat cum
ore, ne fuligines & humores peccantes os intrent, minime tamen sta-
tim in principio assumto sudorifero γ. æger ad sudorem cœr-
endus, sed motus naturæ probe observandi, sic nec δ interdicien-
dus potus calidus præsentis sudore, vel cerevisia calida, potus Thée, si
ægri illud appetunt: maxime verò vitandus potus frigidus,
nec ε, dissuadendus somnus si ægros invadit, sed is, potissimum
moderatus, non intempestivus ad horas quatuor quinque vel
sex, sed sufficit hora dimidia, ad summum una, quan-
doque etiam levis tantum desideratur mador, ut in febribus
malignis, variolis, morbillis, purpura; præstat enim sudorifera
per vices continuare, & motus naturæ observare, quam im-
moderato usu eos turbare, η. sufficit etiam semel tantum in die
sudare, si tamen morbi vehementiores vel acuti sint ut in pe-
ste, plus sudoris requiritur, imo intra 24. horas bis vel ter moven-
dus aut potius jugiter, continuandus est, lenis sudor.*

§. XXII.

*Finito sudore, decenti absterfione opus frigusque externum maxime
vitand-*

randum, ne præcordiorum anxietates, cordis palpitaciones, vel lipothymicæ agro superveniant, hinc *indusia* permutanda, notetur tamen ne *indusium* sumatur salibus saponē vel aliis impuritatibus maculatum, nec reticulatum, nec frigidum, sed calore alius hominis fotum, mundum tamen, fots enim calorē & fornacis merito suspectus, quatenus nimis exsiccat, porosq; cutis occludit; *absoluto* autem toto sudore, *insculum* sumatur *calidum*, vel in *nimia* sanguinis dissolutione blande *acida* adhibeantur, vt *Massa* sanguinea debitam denovo acquirat consistentiam. Hæc & de sudoriferis.

CAPUT IV. de SELECTIS DIURETICIS.

§. I.

Duretica in genere considerata sunt medicamenta serum a sanguine separantia, glandulas renales ad secretionem stimulantia, Urinam moventia, & per eandem superfluitates serosas unâ cum salibus & particulis terreis evacuantia.

§. II.

Subiectum sunt renes, imprimis glandula minutissima, ut piscium ova rotunda in gibbosa renum parte existentes, ex quibus immuri excunt tubuli, extimam regionem fibrosam seu solidiorem substantiam sua congerie componentēs, per quos Urina in glandulis secreta ad pelvim deducitur.

§. III.

Materia est pars sanguinis serosa, quæ cum aliis heterogeneitatibus in sero natantibus, puta salibus, particulis terreis, pure, femine, visciditatibusq; aliis, materiam Urinæ constituit.

§. IV.

Operantur diuretica vel sanguinem attenuando & resolvendo



speciatim vero serum fluxile reddendo, vel serum a grumo dividendo, uberiorem Urine fluxum concitando, cumque ea calculum, omnesque impuritates educendo. De singulis seorsim.

§. V.

Quæ sanguinem attenuant & resolvunt, serumque fluxile reddunt, sunt 1. salia volatilia Urinosa, 2. salsa & in specie nitrata, 3. alcalino-salsa, 4. alcalino-sulphurea, 5. vegetabilia sale volatili mediæ naturæ referta, 6. alcalia fixa & tandem 7. sulphurea.

§. VI.

Ad Urinosa pertinent Sal volatile Urine, millepedum, lumbricorum terrestrium, sal ammoniacum, spiritus & sal volatile tartari, quod postremum reliquis ob puritatem & subtilitatem merito præponitur.

§. VII.

Salsa & speciatim nitrata sunt: Nitrum purum, nitrum antimoniatum, sal ammoniacum, sal ex fimo columbino paratum, sal Urine ex matulis adherentibus collectum, & sola aquæ affusione & crystallisatione depuratum, quæ ultima inter salsa reverà sunt excellentissima, quibus calculum nullis aliis juvantibus remediis propelli posse vidi, cui effectui etiam maximè faccedit liquor ex stercore equino collectus, it. spiritus microcosmi ex stercore & Urina humana paratus, in quibus haud exiguum latet arcanum.

§. VIII.

Alcalino-salsa sunt tartarus tartarizatus, terra foliata tartari, arcanum duplicatum, liquor nephriticus Senneri, ex sale tartari in aqua petroselinæ solutione paratus, Tinctura nephritica Amelungi, ex nitro, tartaro, antimonio & silicibus composita. Referuntur & hæc terrea acidis mensuris sumta, ut lapis cancerum, testæ ovorum, struthionum lapides, nephriticus, judæicus lycis, quæ non ut terrea acidum absorbendo, sed ut alcalino-salsa visciditates in sanguine resolvendo, & concretiones salinas in tubulis renum factas attenuando operantur. Quod autem
ter-

terrea acidis combinata & saturata ita se habeant, probat effectus, qui in calculo pellendo est egregius, imo quando lixivialibus istis liquoribus nimirum terreis ab acido solutis & liquatis infunduntur *spiritus acidis* vel alia *medicamenta acidis*, v. g. *solutio mercurii sublimati*, & tunc statim ut alia *alcalino-salsa* præcipitantur.

§. IX.

Alcalino-sulphurea sunt *tinctura nephritica Sulzbergeri* ex *Calce viva*, *tartaro crudo* & *Spiritu vini facta*, *tinctura tartari acris*, *liquor nephriticus ex lapide nephritico*, *spiritu Salis impregnatione* & *calcinatione*, tandemque *spiritus vini edulcoratione factus*. Recensita autem *medicamenta omnia*, ob *descriptas operari particulas*, ex *textura* & *compositione* eorum, patet uberrimè, imo nullus erit *Medicus* qui *materiæ huic* fati notæ se opponet.

§. X.

Vegetabilia sale volatili mediæ naturæ referta sub se comprehendunt *ligna*, *radices*, *herbas*, *flores*, *fructus* & *semina*.

§. XI.

Ex *lignis* laudantur: *lignum nephriticum*, *juniperi*, *sassafras*, ex *radicibus* *rad. raphani orbicularis*, *armoracia*, *pastinaca*, *ejusque succus*, ex *herbis* *hedera terrestris*, *petroselin. nasturt. charesfol. pimpinell. & saxifrag.* quæ ob *particulas suas salinas ferum sanguinis fundunt*, & *glandulas renales ad secretionem stimulant*. Participare autem recensita *vegetabilia de sale volatili nitroso*, exinde probatur, quia eorum *virtus nec ab affusis acidis nec Urinosis mutatur*, imo quia *sal eorum essentialis*, tam *chymicè*, quàm per *microscopium* consideratum, *verè nitrum* in *virtute* & *textura* sua exhibet.

§. XII.

Flores sunt: *chamomill. genist. hyperici*, *Fructus alkekengi*, *bacca juniperi*. *Semina* sunt *semen lithosperm. violar. urtic. petroselin.* *Omnia hæc recensita medicamenta ex regno vegetabili desumpta*, constant *sale Volatili Nitroso*, obque illud quan-

quando in infusis vel decoctis usurpantur, egregie *Urinam pellunt*. Nam quando sal ex iis paratur essentiale, illud se combinat cum acidis & urinosis, perque microscopium, consideratum exhibet figuram quadrati baculi in se invicem jacentis figuræ similem.

§. XIII.

Alcalia fixa sunt sal fabarum, genista, tartari, ononidis. liquor silicium Glauberi, qui an ita dicendus sit merito dubito, alcalienim quod in silicibus sibi concipit Glauberus est non ens, virtusque omnis à cineribus clavellatis provenit; alcahest Glauberi, quod tamen nihil est aliud quàm Nitrum alcalisatum.

§. XIV.

Restant *sulphurea*, ubi (α ex gummatibus laudantur *therebinthin.* & *succinum*, quorum prius in emulsione, posterius in pulvere propinatur (β ex spiritibus spiritus *therebinthin.* *baccar. juniperi* γ . Ex oleis oleum *juniperi*, *therebinthine*, *succini* & quod à Præfictis maximè laudatur, oleum *amygdalarum rancidarum expressum*, cum succo recenti *limonum* vel *citrorum*, vel in vino *Rhenano* datum, pertinet & huc *balsamus sulphuris therebinthinatus succinatus, anisatus juniperinus*, qui balsami inter *Medicamenta Urinam pellentia* non sunt infima. Hæc de prima *Diureticorum* classe.

§. XV.

Sequuntur *Diuretica* quæ serum à grumo dividunt, & *uberiorem Urine fluxum concitant*, quod præstant *acida, acido-sulphurea* & *acido-salsa*.

§. XVI.

Acida perfecta sunt spiritus nitri, spiritus ex arillis mespilorum destillatus & rectificatus, clystus antimoniis ubi tamen notetur, maximè *Medicorum* partem in hæc versari opinione, *acidis* jam recensitis *calculos posse imminui*, quia *terrea* ab affusis *acidis solvuntur*, & *potabilia redduntur*; Verùm quis hoc in corpore fieri dicere poterit? sunt enim innumera alia *particula v. g. terrea, sulphurea, & viscida, in sanguine, quæ spicula salium*

salium involvunt, naturamque eorum totaliter immutant, sic nec Urina post assumpta acida secreta est acida sed salsa, in primis viis immutata, quæ ob spicula salina tubulos renum visciditatibus infarctos reserant, secretionem promovent, sicque calculum & Urinam pellunt. Scio quidem hoc asserto multos non fore contentos, nimirum quod acida sanguinem attenuent, cum experientia satis notum, ab acidis affusis sanguinem maxime condensari coagularique, hinc & eundem propter usum propinquantur acida in hæmorrhagiis nimis, verum quo effectu? sæpissimè enim ab acidis assumtis interne accelerantur hæmorrhagia, nisi terrea acidis addantur; Acida enim internè in corpus assumpta à diversis in sanguine & primis viis contentis particulis totaliter immutantur, immediatè verò sanguini affusa eundem, condensant & coagulant, quatenus spicula acida propter deficientem sanguinis motum non subigi sicque transmutari possunt. Hæc de acidis.

§. XVII.

Acidosulphurea sunt spiritus salis & Nitri dulcis, acidosalsa sunt succus betula, citri, limonum, sal Volatile succini, quæ medicamenta in corpus nostrum assumpta & in salsa mutata concretiones in renibus factas attenuant, resolvunt, sicque Urinam pellunt. Hæc de Medicamentis.

§. XVIII.

Cautela circa Diuretica observandæ respiciunt agrum & Medicamentorum applicationem.

§. XIX.

Agrum si species, quibusdam diuretica r. non conveniunt (α in seri defectu, v. g. in senibus emaciatis, morbisque chronicis extenuatis, ut in tabe, diabete, mensium fluxu nimio, dysenteria & aliis hæmorrhagiis. β. in meatuum Urinariorum obstructione & calculorum infarctione. His enim in casibus diuretica dolores nephriticos, ischuriam pertinacem, & alia symptomata graviora inferunt. γ. gravidis etiam propter metum

E

abor-

abortus , & (*β.* in humoribus auferis , melancholicis nimirumque viscidis neuiquam propinanda , quoniam ab eorum usu ischuria , dysuria , stranguria , & alia excitantur symptomata . 2. *Conueniunt* è contrario diuretica (*α.* in abundantia feri v. g. in hydrophobia , hydrope uteri , & tubarum Fallopiarum , ovarii , & aliarum partium , statim tamen danda in principio , cum viscera & imprimis vasa lymphatica adhuc sunt integra : His enim *crosts* & jam dilaceratis morbos potius promovent , quam levant . (*β.* in impuritatibus sanguinis crassioribus secernendis v. g. in omnibus morbis chronicis , ut in febribus intermittentibus , obstructione hepatis , lienis , pancreatis , renum , in arthritide , podagra , chiragra , dolore ischiatico , ictero , dysuria , ischuria , gonorrhœa virulenta , fluore albo , calculo renum & vesicæ , ista tamen medicamenta in recentis morbis non tam in principio & incremento , quàm potius in statu & declinatione , viis & meatibus Urinariis adhuc patulis danda sunt , cum natura ipsa exinde eam postulat secretionem .

§. XX.

Applicatio Medicamentorum requirit quædam ante eam , in ea , & post eam observanda .

§. XXI.

Ante diuresin (1. *tempus ante omnia observandum* , (*α.* anni optimum est *hyems* , ubi humores in majori quantitate collecti sunt , *β.* *diei* , est *tempus matutinum* ventriculo vacuo , & intestinis adhuc inanibus : nam ab alimentis medicamentorum vis obtunditur , & nocturno tempore propter insufficientem corporis motionem non sufficienter operantur , somnumque impediunt , *γ.* *morbi* tempus optimum est *declinatio* , minime enim in initio & statu propinanda . 2. *Humores peccantes prius per purgantia aliquantulum imminuantur* , & *obstructiones* si adsint , prius *reserande* , ne exinde dolores aggraventur , imo si *cruciatu* & *inflammatio* adsunt , hæ prius etiam

etiam *removenda*, hinc diuretica in inflammatione renum non nisi cum damno applicantur.

§. XXII.

In ipsa applicatione si medicamenta sumuntur in forma sicca, notandum, ut semper liquor calidus, potus Theè Coffeè vel vinum calidum superbibatur.

§. XXIII.

Assumpto diuretico si vires ægri admittunt, corpus leni ambulatione ad diuresin commoveatur, imo si non ritè succedit, & tardè nimis operatur, haustum vini Rhenani vel alius liquoris Urinam cientis superbibat, in nimia tamen quantitate diuresis non promoveatur, vel diutius ejusmodi medicamentis continuetur, alias quàm facillimè *mictio cruenta* & *diabetes* excitari possunt.

§. XXIV.

Finita tandem diuresi æger sibi probe prospiciat, ne statim multa liquida aquea & spirituosas, v. g. vinum Rhenanum assumat, alias facillimè de novo *Urina* excitatur profluvium, imo si istud est nimium, corroborantibus & adstringentibus blandis supprimi debet.

CAPUT V.

de

SELECTIS SALIVANTIBUS

§. I.

Salivantia in genere considerata sunt medicamenta Mercurialia, massam sanguineam universaliter depurantia, & impuritates per glandulas oris, ventriculi, oesophagi, intestinorum, rectorum, & cutis miliaris evacuantia.

§. II.

Subjectum 1 quod est substantia sanguinea serosa, quæ cum
E 2 Mercurio

Mercurialibus medicamentis tumultuatur, majoremque locū occupandō per *glandulas oris* &c. serum & impuritates deponit. 2. per quod sunt *glandule recensite oris*, e. g. *palati, buccarum, parotides, sublinguales uvula, tonsillæ it. glandule oesophagi ventriculi, intestinorum, glandule militares cutis*, quod exinde probo, quia saliva non solitariē ex ore profluit, sed non rarō etiam diarrhæa supervenit, sudorque simul adest.

§. III.

Medicamenta per quæ salivatio excitatur, sunt *Mercurialia*, quæ vel internè vel externè propinantur.

§. IV.

Internè propinantur (α *Mercurius dulcis*, qui die primò ad scrupul. 1 secundò ad drachm. β tertio ad drachm. 1 datur, & quidem vel cum *tberiacæ*, vel decocto *scorzoneræ* vel *vitello ovorum*, sic die quarto vel quinto ipsa sequitur salivatio. Alii huic substituant *Mercurium precipitatum rubrum*, qui & *arcanum Coralinum* intitulatur, & spiritus nitri abstractione paratur, alii *Mercurium flavum*, qui *turpetum minerale Crollii* audit, & spiritus sulphuris vel Vitrioli abstractione paratur. Uterque datur in forma pilulari cum *tberiacæ* vel succo *glycirrhizæ* primo die ad grana iij, secundo ad gr. IV. tertio ad V. grana, prior verò nempe *Mercurius precipitatus ruber* sæpissimè locō salivationis vomitum procreat, *Mercurius verò flavus seu posterior* in operatione tardior est. Alii ut *Blancard* in tractatu de lue Venerea p. 148. *Mercurium sublimatum* in aqua solvunt, & cocchleatim propinant, ast usus ejus autor esse nolo: Facillimè enim in corpore corrosivo quid remanere potest, quod veneni naturam assumens hominem etiam superatâ salivatione necare potest, qualem observationem habuimus in studioso quodam *Chirurgia*, qui sibi ipsi pro salivatione excitanda propinavit solutionem *Mercurii sublimati*, ast absolutâ salivatione aëri se committens liberiori fere *petecchiali* suam finire vitam cogebatur.

§. X.

§. V.

Externa medicamenta sunt: 1. *Cingula Mercurialia*, quæ ex panno vellinteo Mercurio vivo, pinguedine suilla, vel, quod melius, vitello ovorum subacto vel illinito parantur, lumbisque vel bracciis armille instar applicantur. 2. *Unguenta*, quæ tantùm ex Mercurio vulgari cum axungia porcina, vel quod suavius olet, Unguento pomorum, (germanis Pomade) commisto parantur. Dirigentia enim & corrigentia, quæ à multis admiscuntur Medicis, sanè sunt de nihilo, nam intentio est salivationem, excitare, quid ergo opus est diureticis? quid confortativis, olea enim hæc destillata quæ adduntur, salivationem potiùs impediunt, quàm promovent; melius ergo agunt illi, qui simplicioribus, non autem confusè commixtis utuntur.

§. VI.

Vix tamen melioris notæ videntur illi, qui pro salivatione excitanda utuntur *suffumigiis* imprimis *trochiscis* ex myrrha, storace, cinnabari nativa & therebintina paratis, contraria enim hæc vi ignis in motum deducta effluvia contrarios etiam in sanguine nostro edunt motus: quædam enim *diuresin*, quædam *sudorem*, quædam *salivationem* promovent. Porrò & per se suspectus est Mercurialium usus in *suffumigiis*, quia Mercurius volatilifatus intima corporis penetrat, ut ex partibus iterùm vix radicitus extirpari possit, quin non remaneant, paralysis, dolor & tremor artuum, imo non rarò epilepsia istis excitatur *suffumigiis*, ut passim Prædicorum docent observationes, Hoffmanni [a Fernelli β. & aliorum. Præstat ergo unguentis vel cingulis in praxi fundatis salivationem promovere, quàm *inexpertis suffumigiis* hominem magis lædere.

a) vid. Medicin. Chymic. p. 36, β lib. 2. de Cura morbor.

§. VII.

Sequitur *modus operandi* Medicamentorum *Mercurialium* quem *Mechanici* deducunt à *figura rotunda & globosa*, qualem per *microscopium* exhibent, ob quam etiam figuram pores corporis permeare dicunt, imo quod se cum particulis salium gladiolorum ad instar acuminatis in sanguine existentibus combinans, aliam acquirat figuram, nimirum *scindentem*, quibus aciculis particulæ viscidæ implicantur, & adhærent, sicque particulæ Mercuriales ponderosiores redduntur, ut vix glandulas salivales permeare possint, hinc glandulæ oris intumescerent unâ cum partibus vicinis, quia verò particulæ scindentem à ramosis salivæ particulis non sufficienter complicatæ, hinc in istis locis stagnando glandularum tubulos eroderent, inflammarent, continuâque vellicatione & stimulatione salivam Mercurio & salibus intertextam eliminarent.

§. IIX.

Chymici *Mercurialium operandi modum* deducunt à *sale alcalino*, quod exinde probant, (a quia *Mercurius cum acidis in salisum abit*, exemplum esse potest *Mercurius dulcis & sublimes*, quæ utroque concreta *salsa* sunt, ß quia *solvuntur acidis*, minus salivationem promoverent; ut dicit *Sylvius*, hinc ex eadem tandem textura deducunt operationem, nimirum, quod ob particulas *alcalinas* acidum specificè luis *Veneræ*, corrosivum, scabiei, arthritidis, aliarumque ulcerum corrosivorum corrigerent.

§. IX.

Ipsam tamen *Veritatem* si confiteor, *nulla* sententia mihi videtur esse *congrua nature*, *Mechanica* quidem demonstratio *ab exteris* non videtur adeo *absurda*, quando tamen intimius pensatur, *dubia non remanent pauca*, *Figuram*, enim quod attinet *globosam*, retinet hanc *Mercurius* non semper, quin non simul *angulosam & ramosam* referat, ob quas
par-

particulas etiam facillimè auro & argento adhaeret. Porrò & si solitariè ob hanc figuram Mercurius suas ederet operationes, (quod tamen falsum, quod contrarium probat experientia, microscopia & sana ratio) sequeretur, Mercurium acidis præparatis minimè posse salivationem promovere, cujus tamen veritatem ad amussim demonstrant *Mercurius dulcis* & *Mercurius Præcipitatus*, internè enim propinata salivationem ut Mercurius in substantia sumtus promovent.

§. X.

Chymicorum sententiam, qui alcali inculpant, quod concernit, ipse sane non video, quò fundamento demonstrari id possit; nam quando lamella ferrea immittitur in Mercurium vivum purissimum in vase clauso, brevi post tota lamella in rubiginem corrosa reperitur. Porrò & *Mercurius propter acidum, nervis est inimicus, imò in liquorem per se redactus omnia metalla solvit, cumque alcalibus tumultuatur; Ast instas; si non est natura alcaline, cur cum acidis mixtus abit in falsum?* Respondeo, hoc tantùm provenit ex terra metallica, de qua Mercurius non parum retinet; Quando enim per corium transjicitur, semper macula flava vel nigra remanet, quam terram tanquam inutile quid quidam rejiciunt, sed reverà est terra illa *Adamica*, quæ à multis frustra quæritur, quæque spiritum in sinu suo reverà fovet Universalem adeptis fatis notum:

§. XI.

Plura addere temporis penuria non permittit, sufficere me demonstrasse, *Mercurium propter acidum suas edere operationes; sententiamque Sylvii esse falsam, Mercurium propter alcali corrigere specificè acidum luis Venereæ, scabiei, arthritidis: Nondum enim, fatis probavit ex acido morbos oriari recensitos, imò contrarium potius probare possumus, alcalibus propinatis exasperari luem Veneream recensitosque morbos suos, hinc manifesta est probatio, theoriam hanc esse frustraneam; Quando contra spiritus vel liquores acidi vel etiam Mercurialia*

rialia de acidis participantia propinquantur, salia ista corrosiva in sanguine latentia figuntur, & precipitantur, sic ut amplius propter immutatam texturam minus in sanguine & partibus musculosis & nervosis astuare queant.

§. XII.

Mea itaque est sententia, revera salivationem excitare Mercurialia hæc propter acidum, sive internè sive externè propinquantur, nimirum quamprimum ad sanguinem pervenerunt, cum particulis spirituosissimis & caseosis in sanguine existentibus tumultuantur, unde & sitis æstusque per totum corpus exsurgunt; caseosasque particulas coagulant, & precipitant; simulque semina morborum peregrina in sanguine existentia figunt, hinc & promiscue in omnibus subjectis tam sanis quam ægrotis saliva talis tenax & quasi coagulata ex ore effluit, de qua nec dici nec probari potest, hanc in sanguine absque ullis symptomatibus urgentibus latuisse, quia verò lymphæ ista coagulata & tenax est, minime propter crassitiem per glandulas miliares ferri potest, natura vero vi eius eliminatio em intendens propter tubulorum & pororum convenientiam eam ad glandulas salivales derivat, perque eas depurationem absolvit, que sequestratio tam diu durat, donec omnis lymphæ coagulata & sequestrata, sanguinisque motus ordinarius restitutus est. Quod verò propter acidum edant operationem, probat tandem ex Mercurio precipitato rubro & flavo, qui in minima etiam dosi salivationem excitant, in qua Mercurius vivus nullam talem edit operationem.

§. XIII.

Restant Cautela circa salivantia necessariò attendendæ, quæ respiciunt partim ægrotum partim medicamenta.

§. XIV.

Ægrotum quod attinet, notanda sunt subjecta, quibus (æ non convenient; nimirum Salivantia minime suadenda sunt ob læsionem in pulmonibus phthisicis & hæmopticis, in exulceratione oris, fau-



faucium & narium, nec viribus exhaustis, nec gravidis, nec morbis acutis laborantibus: In omnibus enim recensitis his morbis facillimè experimentum ad mortem (sit phrafi venia) facere possumus, β . Conveniunt è contrario subjectis robustioribus & quidem in scabie, lue venerea, lepra serena, elephantiasi, paralyssi ex apoplexia facta, it. in cataracta, strumis, febre quartana, hemicrania contumaci, in ulceribus crurum manantibus cacòetibicis, dolore arbritico, plica Polonica, omnibusque morbis chronicis, qui particularibus medicamentis curari requeunt.

§. X V.

Circa medicamenta, quædam notanda ante eorum assumptionem, quædam in ipsa applicatione, & quædam absolutâ salivatione.

§. X VI.

Antequam æger salivantibus uritur, ante omnia leniter, purgantibus & decoctis lignorum corpus preparatur; si subjectum plethoricum, Venæ sectio premitatur, corpusque per octiduum bis in die balneo ex aqua dulci parato lavetur, ut habitus corporis fiat rarior & porosior, imo ut lymphæ tenax et coagulata in topis & morbis attenuetur & fluidior reddatur, sicque felicius absolvi possit salivatio.

§. X VII.

In ipsa applicatione notetur: (a) ipsam salivationem excitari vel per interna, ut in gradu luis Venereæ mitiori, vel per externa, ut in nodis & lue vehementissima contingit, & hic Mercurialium usus tam diu continuetur, donec appareant signa eruptione salivæ, nimirum gingivarum parotidum ardores & tumores, halitusque fetidi, quæ signa quarto vel ad summum quinto die contingunt, ubi tandem à Mercurialium usu desistendum est, β . si verò voto non succedit salivatio, nullaque adfunt contra indicantia, reiterari debet, imo dosis augeri potest: Medicus verò probe attendat motus corporis, quia in subjectis pituitosis plus temporis ad operationem requiritur, quam in serosis: hinc non nimis pertinaciter & inconsideratè urgeat Salivationem reclinante naturâ, cum tandem humores in motum deducti nimis suffocentur affluxu agri, aut diarrhæa vel vomitus sequantur funesti, sed ad operationem unus vel alter dies relinquatur vacuus. Quando verò fluxum promoveri volumus, fieri id potest globulo ex Mercurio dulci cum tragacantha parato,

F

rato,

ratō, qui in ore retinendus, γ. si verò fluxus vehementior, motus natura clysteribus leniter purgantibus, vel quod melius Vena sectione corrigi & alterari debet, quanquam de postrema an hic concludat apud Medicos quosdam dubium est, δ si fauces & gingiva excruciantur, ducatus vel annulus aureus in ore tenendus, ut Mercurius in poros Auri se insinuet, vel decocto bordei vel lignorum addito syrup orosarum & mororum os probe eluatur. ε Inter salivandum ut & ante salivationem æger ab aère libero & frigido probe sibi caveat, ne salivatio supprimatur, & tumores faucium lethales superveniant, ζ in ipsa salivatione dieta æger utatur tenui v. g. ovis forbilibus, lactiniis, potus sit decoctum lignorum secundarium, it. mulsæ temperata, η. nocte æger corpus in latus alterutrum convertat, osque mucicino indito servet apertum, ut salivæ liber pateat exitus, (δ salivatio ex voto succedit, si ex calculo autorum spatio 24. horarum salivæ libere IV. effluant (ii ne tamen æger in novam conjiciatur salivationem, indusia, lori & linteamina post aliquot dierum usum commutanda.

§. XIIX.

Absolutâ salivatione denuò æger purgetur, eique decoctum lignorum propinerur, ut sordes restantes & Mercurius ex corpore penitus extripetur, neque de novo dolores capitis, & artuum excitentur, quæ symptomata solitariè à Mercurio non ritè & sufficienter e ducto proveniunt.

§. XIX.

Hæc de Medicamentis Universaliter Evacuantibus scripta sufficiant, Deo autem Triuno pro concessis viribus sit laus & honor in sempiterna secula ! Amen.



☉ (43) ☉

NOBILISSIMO DOMINO CANDIDATO

S. D.

P R Æ S E S.



Um Disputationem tuam Inauguralem, de Evacuantibus universalibus selectioribus, sub meo præsidio habendam, eo tempore mihi obruleris, quo variis occupationibus distractus, illam vix fugitivo oculo perlustrare potui, animadverti illam ita elaboratam, ut tuam, in hodierna medicina, æque ac antiquiore, peritiam, non obscure indicaret; Siquidem non incommode secutus videris, illud propioris ævi Gallorum quorundam, inò forte magis Germanorum, de lingua Gallicâ, monitum: *Vis à l' antique, & parte à la moderne; vive ad antiquum morem, ad modernum verò loquere.* Ita enim materias Evacuationibus optime satisfaciennes, earumq; adhibendi modum, è Practicis observationibus, à longo tempore, firmâ experientia comprobatis, satis exquisitè, & concinnâ brevitate, proposuisti; de causa verò, atque modo operandi, ita recentiore medicâ Linguâ differuisti, ut invidiam tibi constare videri possit, quisquis hæc tua asserta in dubium vocando, à te exigere velit, ut tu præ aliis, tot tantisque ætiologis, seorsim sapere coneris. Illud saltem vide, ne cum hisce recentioribus collidaris, dum equidem in genere illorum vestigia sequeris, undiquaq; Soli & Sali, (Sulphuri & Sali) rationes tuas superstruens; sed in eo ab illis nimis audeat digrederis, ut, cum illi nihil nisi acida, acrima, acuta, imo austera, amara, acerba, loquantur; tu cum *sal-*sis quibusdam formulis, tantò minus ipsis satis facias, quo magis viæ ad extrema, fastigia nempe, ferentes, à medio, quo falsa spectant, abhorrent. Vide, inquam, ne experiaris illud Senecæ; Non arietant inter se, nisi in eodem ambulantes. Ego in hac ipsa tua Dissertatione facillime tuli, ut

F 2

illis

illis Theoriis infisteres, quas in quintum annum hauifisti, licet à meis ita alienæ sint; ut his, meis, inquam, propterea insularum elogium evenerit: Quandoquidem nonita austerus sum, ut, quæ à Doctoribus summo jure postulo, idem ab omnibus ita edoctis, eadem formulâ exigam: Tanto facilius autem, imò facillimus sum, in hujus indolis speculationibus, quæ seriis & magni momenti consequentiis Practicis nihil præjudicii afferunt: Cujusmodi certè sunt allatæ vestræ theoriæ. Satis est, & lubentissime concedo quodlibet spatium, si etiam in arduis, non tam opinionibus, quam connexionibus, tandem in viam fiat reditus, & post plures etiam, modo ingenuas, mutationes, tandem Veritas propius agnoscatur: Qui fatis meminerim, quod non solum, juxta Cyrenæum apud Athenæum:

Τῆς δ' ἀπομαζοιμένοισι θεοὶ διδάσιν ἀμείνων.

i. e. ter demum absterfis, Divi donent meliora sed: etiam, ut est apud Lucianum, quod Chrysippus in beatorum insulam non admittus sit, nisi quartum purgato capite. Tu modo solidiora Practica fundamenta, documenta, & experimenta, ut hæcenus fecisti, porro prosequere, excolle, exequere; ut & scientiæ & conscientiæ securus esse possis: Atque adeo neque thesauro illo malo Hippocratis, *ἀπειρία*, distescas; neque altero illo succedaneo cimelio gaudeas, quam vellem ab omnibus huius ordinis alienissimo! quod Menippus Luciani, apud nudum quendam Philosophum, ex hac vita ad manes usque deportatum iri suspicatus est: *ἐν ἔτι τὸ βαρύτερον ὑπὸ μάλης ἔχει, τί ὦ Μένιππε; Κολακίαν ὦ Ερμῆ. Πολλὰ ἐν τῷ βίῳ χρησιμεύσασαν αὐτῷ: Unum, inquit, adhuc gravissimum sub alis gerit; Quid vero, Menippe, ait alter: Adulationem, o Mercuri, quæ illi multum emolumenti attulit in vita. Non est beatus, qui scit illa, sed qui facit, dico cum Senecâ. Vale. Dab. è Musæo Idibus Februarij. MDCCIII.*

Uc 787

ULB Halle

3

002 169 568




SB.

Uc 787

Uc 787







DISPUTATIONEM MEDICAM INAUGURALEM
DE
**EVACUANTIBUS
SELECTIONIORIBUS,**

In Alma Regia & Electorali Fridericiana

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE ET DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO;
REGNI BORVSSICI ET ELECTORATVS
BRANDENBURGICI HÆREDE,
GRATIOSO FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU

PRÆSIDE
DN. GEORGIO ERNESTO STAHLIO,
MED. D. ET PROF. PUBL. ORDINAR. ACADEM. NAT.
CURIOS. COLLEGA FACULTATIS MEDICÆ
DECANO

PATRONO ET PROMOTORE SUO ÆTER-
NUM DEVENERANDO
PRO GRADU ET PRIVILEGIIS

DOCTORIS MEDICI

MAJORUM MORE CONSEQUENDIS

AD DIEM FEBR. MDCCLIII.

HORIS LOCOQUE SOLITIS
PUBLICÆ ERUDITORUM DISQVISSIONI
SUBJICIT

CHRISTIANUS GODOFREDUS CARISIUS,
SCHWIDN. SIL.

HALÆ MAGDEBURGICÆ, Typis Christiani Henckelii Acad. Typ.